



1768

1. H.

2. Sch.

Sc

O

1769

1. C.

b

2. C.

c

3. H.

d

4. H.

T

5. H.

ap

6. H.

B

7. H.



E. 12. num. 8.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QVA
P R E C V M
SVMMA ET NECESSITAS ET UTILITAS
EX RATIONE ADSTRVITVR

S V B AVSPICIIIS DIVINIS
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO,

D O M I N O

C A R O L O ,

D V C E W V R T E M B E R G I A E E T T E C C I A E rel. rel.

P R Ä S I D E

CHRISTOPH. FRIDERICO SCHOTT,

S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. EXTRAORD.

PHILOS. PRACT. ELOQV. AC POSEOS ORD. PVBL. CONTUBERNII ACAD.
RECTORE, SCHOLARVMQUE LATINARVM SUPERIORIS WÜRTEMBER-
GIAE PÄDAGOGARCHA, SOCIETATIS LATINAЕ BADO-

D V R L A C E N S I S M E M B R O HONORARIO
ORDINIS PHILOSOPHICI h. t. DECANO,

AD ORTINENDOS

S V M M O S I N P H I L O S O P H I A H O N O R E S

a. d. Octobr. MDCCLXIX.

I N A V D I T O R I O P H I L O S O P H O R V M Æ S T I V O

P V B L I C E D E F E N D E N D A


DANIELE FRIDERICO HAVFFIO, *Biffinga-Tecensi*,
FRIDERICO PHILIPPO STAENGELIO, *Welzheimensi*,
LUDOVICO EBERHARDO PVCHNERO, *Gochsheimeni*,
JO. GEORGIO DAVID. TRITSCHLERO, *Spielbergensi*,
MAGISTERII PHILOS. CANDIDATIS IN DVC. STIPENDIO THEOL.

T V B I N G H E,
L I T T E R I S JO. AD. SIGMVNDI.



FESTETTEN 10. VD. SIGISMUNDI





Q. D. B. V.

Quodsi eorum , qui politiori præ reliquis inge-
nio pollere, & supra vulgus sapere videri vo-
lunt, scripta, magno numero nostra ætate evul-
gata perlustramus, non possumus non animad-
vertere, permultos ex illis singulari quodam studio reli-
gionis virtutisque causam agere, acerrimosque ejus de-
fensores & promotores haberi velle, qui ipsi tamen à gra-
vissimis iisdemque clarissimis sacrarum literarum doctri-
nis penitus se abhorrire disertis verbis profitentur. Sum-
mis extollunt laudibus religionem, quam dicunt, natura-
lem, solius rationis ductu & examine investigandam atque
adstruendam , & adferere haud dubitant, quæcunque

A 2

ad

ad salutem; eamque etiam in æternum perennantem, ab hominibus consequendam scitu sunt necessaria, hac una contineri docerique omnia, neque hinc divina viæ certioris rectiorisque ad salutem revelatione opus esse. Si qui tamen sunt ex illis, uti omnino jam sunt haud admodum pauci, qui sacris literis pretium à se statui, cœlestemque auctoritatem tribui, præ se ferunt, à reliquis tamen nulla re alia differunt, nisi quod, secus ac isti, Christianum nomen haud adspendentur, cartera illorum simillimi, cum nihil, nisi quod ipsi rationi sit pervium, atque hinc religionis quoque naturalis ambitu concludatur, divinis sacrae Scripturæ paginis doceri, & in vulgi magis quam perspicaciorum gratiam sermone ad popularem sensum accommodato tradi, summo opere contendant. Atque hæc quidem utim maxima cum fiducia tum sibi tum aliis quibusque persuadere student, ita larvam quoque hominum probissimorum, gloriamque Dei & virtutis studium ardentissime promovere cupientium, assumunt, quibus artibus maximo cum veræ pietatis damno efficiunt, ut nonnunquam & magis sorbii, minus autem circumspecti, irretiri se, & vel à veritatis tramite se averti, vel fidei suæ firmitatem labefactari patientur. Et maximi omnino veritatis reique Christianæ interest, ut perniciosissimis his doctrinis, jam non, ut olim, tenebris se occultantibus, sed propalam & in plena luce graf-

grassantibus, obviam eatur, nebulæque, quas oculis suffundunt, veritatis splendore restituto dispellantur. Neque etiam sanctissimæ religionis causæ defuerunt cordatores viri, & Theologi & Philosophi, clarissimeque demonstrarunt, præclarissimum istud, quod jure quidem, sed tamen & supra modum, extollitur, Theologiae naturalis Systema, acutissimis gentilium Philosophis prorsus incognitum, non rationis acumini & perspicaciæ, sed revelationis luci, rationem collustranti, viamque pertingendi ad veritatem ipsi designanti, omnem suam debere praestantiam; quæ ipsa tam tanta non sit, ut per eam, vel ipsa ratione rem penitus expediente judge, certa & prorsus expedita ad salutem aeternam via pateat, cum homines tales nec sint, nec suis viribus religionis naturalis ductu se ipsos reddere possint, quales severa, quam hæc unice inculcat & sequitur, lex eos esse postulat: quo ipso simul frivola istorum hominum calumnia, sacris literis adspersa, non nisi religionis naturalis placita illis exponi, gravissime coercetur & retunditur, quæ eo etiam est manifestior, quo clarius pleniusque divina oracula contrarium docent. Vt vero ipsa fundamenta Deisini passim à viris doctis & strenue & funditus fuerunt eversa, ita vanissima Patronorum ipsius jactantia, qua doctrinarum suarum propagatione de genere humano vero religionis sensu imbuendo mirificè

se mereri gloriantur, haud minus strenue explosa fuit & in ruborem data; quam spartam nuperrime demum prorsus egregie ornavit Cel. ROVSTAN, qui ingeniosè aquæ ac solidè observavit, principibus religionis naturalis laudatoribus de ipsius doctrinis scitisque adeò non convenire, ut fide Christiana, pro ipsorum voto in exilium acta, genus humananum nullam omnino habiturum esset religionem. Sed quorsumnam hæc? Nempe existimamus, his ipsis viris, de religione naturali tam magnifice statueruntibus, eò etiam larvam detrahi, ipsosque turpissimæ simulationis convinci posse, quod nullam ejus partem negligentius, & tantum non cum contemptu, tractent, quam qua precum ad Deum fundendarum summa & necessitas & utilitas inculcatur, quas in salutis nostræ cura non posse non summum habere momentum, fugere potest neminem, cui religionis naturalis doctrinæ sunt perspectæ. Et dubio vix caret, eos ipsis, qui rationis suæ abusu vel se ipsis deceperunt, vel ab aliis decipi se passi sunt, ut immodicum religioni naturali premium statuerent, aut hos errores plane vitaturos, aut multo facilitius ab iis se expedituros fuisse, si pro eo, ac ipsius etiam præcepta id exigunt, in veritatis cognoscendæ & salutis suæ consequendæ studio, ad Deum se convertissent, ipsiusque opem & gratiam piis & sinceris precibus implo- rassent, cum & fidei in minimis demonstratae præmia de- negare

¶ ¶ ¶

negare non soleat. Quo magis igitur persuasum habemus-
iis, quorum animus dubiis de fide in Christum subortis vel
vexatur, vel in devia abstrahitur, solas preces sacræ in-
star anchoræ esse posse, cuius ope ab interitu serventur;
eo magis etiam periculosisimo hoc, & seductionibus quam
maxime obnoxio, quod vivimus, seculo necessarium esse
duximus, data opera ostendi, quod ipsa ratio & natura-
lis, quam dicunt, religio, precandi officium gravissime
injungant, ipsiusque summam & necessitatem & utilita-
tem agnoscant. Quod dum facere instituimus, ut recte
abs nobis fiat, Deum optimum maximum supplices roga-
mus!

§. I.

I nanemne magis, an magis difficilem, laborem suscipiamus,
probaturi, quod in proprio est, non sine ratione dubi-
tari potest. Vtrumque enim æquali modo in hujus generis
argumento locum invenit. Quidni enim frustra oleum operam
que impendisse censeatur is, qui, quod nemo in dubium vo-
cat, argumentorum robore firmare instituit? Et quid magis
potest esse difficile, quam id, quod omnium sensui communī pa-
tet, atque ex ipsis rerum notionibus sicut, rationibus, qua-
non

non desiderari videntur, velle adstruere? Et habet proœcto primus argumenti, licet nobilissimi, tamen & tritissimi, adspetus, quod animum à penitiori ipsius investigatione avocare potius, quam ad eam invitare videatur. Sed quicquid horum sit, quo majus doctrinæ alicujus est momentum, eo minus inanis esse potest, qui ipsi accuratius scrutandæ impenditur labor, eoque etiam minus subterfugiendæ sunt difficultates, si quæ forte superandæ occurrant. Quodsi fuerint nonnulla, immo & haud pauca, quæ dudum omnibus fuerunt cognita, erunt tamen fortassis & aliqua, haud æque omnibus obvia, vel à quibusvis observata.

§. II.

Preces nobis quidem sunt intimum illud hominis cum Deo commercium, quo ipsius animus suo desiderio ad eum, tanquam omnis boni fontem, ita erigitur, ut cum sibi tum aliis bona expetat, mala deprecetur, gratumque acceptorum beneficiorum sensum declareret, sive id mentis tantum interno actu, sive externalis etiam signis demonstrato, fiat. Ex quo conficitur, sine mentis actu & desiderio ad Deum directo preces non dari; quo nomine hinc digna non sit necesse est oratio ore prolatæ, nisi si animi quoque sensa respondeant.

§. III.

Consequitur porro, non nisi Deum solum esse adorandum, quippe qui solus nostras & cogitationes & necessitates, has que

Que nobis ipsis etiam melius, perspectas habet, omnique tempore adiri potest, & solus etiam malis omnibus mederi, bona-que, quæ desunt, quævis largiri, pro sua potentia & sapientia summa posse, & pro sua immensa bonitate velle, intelligitur.

§. IV.

Necessitatem precandi cum nostra summa divini in omnibus auxiliis indigentia, tum Dei bonitas, & ad benefaciendum promitudo æque ac facultas summa clare demonstrant. Quid enim boni est, vel esse potest homini, quod non vel Deo in acceptis ferat, vel à larga ipsis manu aut provida dispensatione expectare debeat unice? Quæ vis, quæ facultas ipsis est, vel malis se expediendi, vel, quæ sibi desunt ad felicitatem, comparandi, si divino adjumento destitutus ponitur? Quid sunt res creatæ omnes, quid ipsis homines, nisi instrumenta & ministri Dei, quibus in adornandis suo consilio convenienter hominum satis ipsius providentia utitur? Nulla igitur homini, nisi levissimo, vel minimo temporis momento, esse posset animi tranquillitas, nisi ipsis in divina bonitate presidium pateret. Vt hinc summa ipsis imbecillitas & indigentia necessitatem ipsi imponit, quæ ad salutem suam faciunt, extra se quærendi, ita reliquarum rerum in mundo omnium æqualis imbecillitas isti necessitati alteram adjungit, ut, quæ saluti sunt, à sola Dei bonitate expetat, demissaque supplicatione exoret.

B

§. V.

§. V.

Quanquam vero sic planissimum est, necessarium omnino esse, ut homo omnia salutis sue præsidia à Deo solo exspectet, dubitari tamen forsitan potest, an ex eo ipsa etiam precandi necessitas rectè colligatur? Quid, inquis, hæc ad rem? Hominem, uti in omnibus, ita & in felicitatis sue cura, à Deo dependere, & sine ipius ope & benevolentia beatum esse non posse, posse vero ab ipius bonitate optima quæque sperare, id, inquam, ex antecedentibus colligi posse intelligo; Deum autem velle, ut bonitas ipsius precibus antea expugnetur, quam virtutem suam demonstraret, id ex iis sequi non intelligo. Nonne potius ista, quæ summo jure dicitur, immensa bonitas omnem lprecandi actum occupabit, & non rogata etiam, quicquid ad salutem pertinet, indigentibus conferet liberaliter? Quodsi officium naturale habendæ sunt preces, ex ipsa rerum natura ostendendum quoque est, eam esse Dei voluntatem, ut fundantur, præceptaque divino homines ad eas obstringi. Et sunt omnino, qui ita arguitantur, quorum nominis & scripta hiis excitare usus attinet, cum rei potius habenda sit ratio, quæ curate ut tractetur, omnem dabimus operam. ^{Ad hanc vero responderi potest, ea ipsa, quæ superius fuerunt dicta, plane sufficere ad convincendam rationem, velle Deum, ut beneficiis suis juvari vel ornari cupientes, ea sibi decenter}

¶ ¶

II

center expertant, gratumque pro acceptis animumi testentur,
cum eadem satis intelligat, bonitatis non esse, ut beneficia in-
vitis obtrudat, iisque naturali nexu obligationem ad gratum
animum testandum induci; quæ luculenter certè probant,
nec à divina bonitate, quamvis immensa, sperari posse benefi-
cia, nisi desiderio nostro experta, nec animum, nullum bene-
ficiorum divinorum sensum prudentem, probari Deo posse. At
que hæc quidem ex ipsa bonitatis notione, nullo ad reliquas
in Deo perfectiones respectu habito, per se sunt. Eadem au-
tem multo etiam plenius, & ad captum quorundam accommo-
datius probari possunt, si, quæ probanda sunt, cum iis quo-
que conferantur, quæ expediti juris naturalis sunt, & à ne-
mine, qui religionem naturalem profiteretur, in dubium vocari
possunt.

§. VII.

Qui Deum rerum omnium auctorem & conservatorem
optimum maximum dari concedunt, quod nemo sanus un-
quam negare in animum induxit; idem etiam consentiant
neccesse est, esse hanc Dei voluntatem, legemque subditis ipsius
pro imperio ab ipso latam, ut ipsum colant, majestatemque
ipsius reverentia & honore prosequantur. Cultus autem Dei
recte in iis ponitur actibus, quibus perfectiones divinæ causam
dedere. Quis verò est, qui non videat, ad eos vel maxi-
me etiam pertinere preces, quas ut ad Deum fundamus, di-
vinæ perfectiones non possunt non nos movere? Eadem igi-

B 2

tur

tur lex, quæ Deum colendi sanctissimam necessitatem nobis imponit, eadem quoque ad precandum nos obstringit gravissime. Et qui, quæso, fieri posset, ut à reliquis erga Deum officiis, omnium confessione naturali lege injunctis, hoc, quo ad preces fundendas obstringi nos dicimus, sejungeretur, cum id ipsum illorum officiorum effectus sit & vividissima expressio? Quia enim re magis, quam precando, Deumque adorando, declarare possumus, ipsoque actu demonstrare, nos absolutissime à Deo dependentiae & subjectionis nostræ nobis conscientia maiestatem & imperium ipsius pro eo, ac par est, suspicere, ipsum ut summe bonum impensisimo amore complecti, ipsius justitiam & sanctitatem ingenuo timore revereri, omnem nostram spem & fiduciam in ipsius bonitate, sapientia, potentia, collocare, atque in ipsius providentia, nostris consiliis multo rectius felicitatem nostram procurante, acquiescere? His, inquam, omnibus vita quasi sua per preces accedit, *) & eas maximè, quibus moralis nostræ perfectionis præsidia à Deo efflagitamus, deque ipsius ope, cum nobis tum alijs lata, grati animi significatione exultantes lætamur.

*) Non possum, quin hic adjiciam verba prorsus egregia Abbatis du GVB, quibus eandem observationem exprimit in plantissimo libro, ἀνονύμως ab ipso edito, cui titulus: *Institution d'un Prince*; in quo Tom. III. Cap. IX. Art. 13. p. m. 211. hæc legimus: *La priere met en mouvement & en exercice toutes les vertus interieures. Elle les anime, elle les fait croître,*

elle les applique à leur objet, & sans elles les plus grandes & les plus divines demeureroient commémortes & sans vie. C'est elle qui attache la foi à ce, qu'elle doit croire; l'esperance à ce, qu'elle doit attendre; la charité à ce, qu'elle doit désirer. Sans elle les louanges divines, l'assassin de graces, l'adoration, la religion, seroient comme éteintes. C'est par elle, que l'ame s'humilie devant Dieu, qu'elle lui offre le sacrifice d'un esprit abattu & d'un coeur brisé, qu'elle l'invoque, qu'elle lui expose ses besoins, qu'elle confesse son indignité, sa dépendance, sa faiblesse. En un mot, c'est supprimer tout, que de supprimer la priere: c'est affoiblir tout, que de l'affoiblir: c'est tarir la source de tous les biens, que de négliger l'unique moyen de les obtenir.

§. VIII.

Quamvis verò ex his satis constare putemus, velle Deum omnino, ut preces ad ipsum fundamus, easque sic citra omnem dubitationem ad officia hominis naturalia, ipsi rationi planissime perspecta, esse referendas, impetrare tamen abs nobis non possumus, quin unam adhuc alteramve addamus observationem, veritatem hanc majori etiam luce collustraturam. Ii certè, qui negare haud verentur, hanc esse Dei voluntatem, non cogitant, quantum naturae suæ præstantiae & dignitati derogent, quam sic judicantes eodem loco, quo animantium brutorum naturam, apud Deum haberi, apertissime significant. Itane ergo Deus humani generis saluti non alio modo prospicere cendus est, quam quo vel rerum sensu carentium curam habet,

B 3

quibus

quibus ut lætè succrescant, gratosque edant fructus, non ab iis rogatus solis calorem imbruesque tempestivos largitur, vel quo rebus sensu præditis providet, quas, ut lucis usura fruantur, procurato pabulo ultro nutrit alitque? Nonne hic queri potest cum CICERONE *), mente confilioque divino omnia ad simulationem omnium conservationemque admirabiliter administrari dicente; cuiusnam causa tantarum rerum molitus sit? Audiamus verò & quid respondeat; arborumne pergit, & herbarum? quæ quamquam sine sensu sunt, tamen à natura sustinentur; at id quidem absurdum est. An bestiarum? nihil probabilius, Deos mutarum & nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa, quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quæ ratione utuntur. Dicere igitur, Deum hominibus non alio, quam quo reliquis rebus creatis, modo prospicere, tantundem est, ac si diceretur, ipsum nulla de causa mundum condidisse, conditoque munificentissime providere. Neque etiam intelligeretur, cur Deus præstantissimo rationis dono exornasset hominem, atque à reliquo animantium grege distinxisset, nisi esse voluisse, qui beneficiorum suorum sensum haberet, eoque ad ea appetenda, benefactoremque suum amandum & colendum, moveretur. Absit igitur longissime, ut non tantum in nos, nobilissimam naturæ nostræ prærogativam contemnentes, sed & vel maxime, quod summum nefas foret, in ipsam Dei sapientiam injurii simus, quod fieri necesse est, si in mundi hujus administratione, munerumque divinorum dispensatione, doni quod largita est, præstantissimi nullam ab ipsa rationem haberi statimus.

*) de Nat. Deor. L. II. c. LIII.

§. IX.

§. IX.

Tantum autem abest, ut nulla illius ab ipsa habeatur ratio, ut potius, sapientissimo Dei rerum omnium effectoris & gubernatoris consilio, in universo mundo omnia eò collinare, cùm reliquarum rerum creatarum omnium fors & fata, ab hominum ad Deum habitu dependentia, tūm naturales animi humani inclinationes nifusque luculenter doceant. Hospitem enim ex rerum in orbe gestarum monumentis earumque lectione animum retulisse, eaque, quæ observatu longe dignissima erant, supine neglexisse, oportet eum, qui non animadvertit, vel ipsas integrarum provinciarum terras pro eo, ac beneficiorum divinorum vel observantes, vel obliscentes & incuriosi, fuerunt incolæ, benedictionis divinæ magis minusve participes, vel fluorisse vel deperiisse; quod, licet non in universum obtineat, cùm præsens vitæ status virtutis humanæ explorationi magis quam remunerationi, destinatus esse intelligatur, tamen haud infrequenter accidisse, ejusque rei exempla in iis maxime gentibus, quibus divino beneficio purior religionis lux affulxit, luculenta admodum prostare, negari haudquaquam potest. Quid porro aliud docent hisus illi animo humano congeniti, quibus ad illud, quod sumnum consequi licet, bonum appetendum constanti desiderio fertur, quām Deum, à quo sunt inditi, rationis in dirigendis appetitibus, atque ad suum tanquam summi boni desiderationem flectendis, usum quām maxime respicere, huncque scopum omnino posuisse, ut perspecta rerum omnium inaptate ad se unum tenderent. Et similiſ

suo

suo modo est mundi corporei atque intelligentis ratio. Quemadmodum enim corpora sua gravitate ad centrum tendunt, & eò fortiori etiam vi attrahuntur, quò propius ab eo absunt: ita & mentibus creatis inest nifus ad conjunctionem cum mente summa, à qua productæ sunt, tendens, eò debilior, quò longius desideriis suis alio directis ab ea recesserunt, & fortior contra ac intensior, quò propiores ipsi sua cupiditate sunt. Sed verendum nobis est, ne hujus generis cogitationibus indulgentes, & sua natura nimis à se diversa invicem contendentes, vel à veritatis tramite, vel certe ab argumenti, quod persequimur, & instituti ratione, quod hujuscemodi fulcris non indiget, aberremus.

§. X.

Persuademus autem nobis per ea, quæ superius jam dicta sunt abunde fatisfactum esse eorum postulationi, qui veritatis illius, velle Deum, ut oremus, & pro imperio etiam injungere precum necessitatem, firmorem magisque directam adsertionem requirent. Atque sic quidem, evicta naturali ad fundendas preces obligatione, corrunt quoque reliquæ exceptiones, precum non tam necessitati, quam potius cum sana ratione conformitati oppositæ, quarum vanitatem ultro quisque nullo negotio perspicere valet; cuius generis sunt: à ratione esse alienum, ut quis petitione sua necessitates, quibus premitur, aut salutis adminicula, quibus destituitur, exponat Deo, cui omnia distin-
stissime sint cognita; vel ut gratiarum actione honorem ipsi ha-
beat,

beat, cuius tamen gloriæ nihil à quoquam, & omnium mini-
me abs nobis, & nostra indignitate, possit addi. Quis enim
est, qui non videat, isto fine nec fundi preces ab hominibus,
nec à Deo exigi, ut ipse demum edoceatur, quid desideremus,
sed hōc potius utrumque fieri, ut homines divinam opem an-
helantes & implorantes suam in Deum fidem demonstrent, quod
fieri non potest, nisi simul suam quoque miseriam & necessita-
tes suas exponant? Eadem ratione facile intelligitur, licet no-
stris laudibus, & honore Deo abs nobis habito, gloriæ ipsius
nihil accedere possit, tamen & homines, id sui officii vel ma-
xime esse, non posse non sentire, nec Deum hæc quamvis exi-
lia venerationis erga se documenta, pro suo in res à se crea-
tas amore, spernere aut respuere. Verum est, divinæ gloriæ
celebratione eam non augeri, sed haud minus verum quoque
est, eam his actibus luculentius manifestari, iisque cum divi-
næ laudis præcones ipsos, tūm alios etiam homines, ad eam
admirandam & celebrandam fortius excitari, quod cum fine
Dei primario optime & ex aſſe consentit, qui mundum hunc
gloriæ suæ non augendæ sed manifestandæ gratia condidit.
Neque id minus cum altero ipsius in condendo mundo fi-
ne conspirat, quo rerum à se creandarum felicitatem pro-
scopo habuisse dicitur, quippe quæ in intelligentibus glo-
riæ divinæ contemplatione & venerabunda prædicatione ad
summum suum fastigium evehitur. Patet igitur gloriæ divi-
næ immensitatem, augmentum omne excludentem, non ob-
stare, quo minus debitum ipsi ab hominibus honos habeatur,

C

quæ

quæ alias & obstare deberet, quo minus in universum Deus coleretur, cum nullo hominum cultu quicquam ei perfectionis accedit. Quicquid Deus hoc nomine ab hominibus præstari sibi vult, id non sui, sed ipsorum causa, qui alia ratione beati esse, & ad veram felicitatem pervenire, non possunt, vult & exigit.

§. XL

Majori cum specie aliud telum adversus preces vibratur, quo illarum efficientia petitur, quæ in universum negatur. Dici nimirum solet, mundum hunc à Deo ita administrari regique, ut secundum leges ab ipso inde à condito mundo stabilitas naturali eventuum decursu omnia fiant, ordinemque hunc, quo effectus ex suis causis consequi intelligantur, tam esse stabilem & constantem, ut alia rerum consecutio, effectus proditura ex suis causis non derivandos, prodigio similis & miraculo omnino esset futura. Ordinem autem istum non tantum in corporibus observari, quæ legibus physico-mechanicis regantur, sed & eadem experientia teste, in mundo intelligenti obtinere, cui & suæ sint leges, aliæ illæ quidem, sed haud minus & constantes & universales, quarum cognitione, & ad ea, quæ contingunt in mente humana, applicatione, causarum & effectuum connexio intelligatur, omnem humanam intelligentiam superatura, si quid secus contingat, ac istæ leges, quas ethico-morales appellare solet, postulant. Haud igitur minus miraculi loco habendum fore, si quis rerum omnium rudis citra institutionem subito & in instanti doctus fieret,

¶ ¶ ¶

19

tieret, ac si aqua, nulla præparatione adhibita, nullisque aliis rebus additis, subito & in instanti in vinum generosum converteretur. Deum autem ordinem naturæ à se ipso stabilitum haud temere turbare, miraculorumque parcissimum esse, cum illa ipsa experientia omnium communis comprobari, tum ex sapientia divina ordinis observantissima intelligi. Atque inde iam colligitur, preces non posse non omni effectu destitui, cum dubium haud sit, rerum eventus, sive fundantur, sive non fundantur, eosdem futuros esse, & tales, quales ordo à Deo per leges ab initio mundi, quin ab æterno, latas definitus, eos requirat; summæ verò temeritatis signum fore, si quis horum omnium conscius nihilo secius precaretur, sibi persuadens, effecturum se sic esse, ut Deus, miraculo interposito, petitioni suæ annuat & satisfaciat,

§. XII.

Vti hæc difficultas non potest non attentioris cajusque rerum in hoc mundo observatoris animum subire, atque hinc dudum dubitandi materiam præbere debuit; ita dudum etiam ad eam solide resolvendam animum applicuerunt viri docti, nondumque felicissime, & ita quidem, ut nemini jam molestiam creare possit, expediverunt. Res omnis èdredit. Dari potest, imò & suo modo debet, ista omnia, ut dicitur, se habere, statibilem & constantem in omnibus servari ordinem, quæque in hoc mundo pro naturali rerum cursu eveniunt, sui causas in iis, quæ antecedunt, positas agnoscere, legibusque universali bus

¶ ¶ ¶

libus convenienter contingere, quod nisi ita esset, quidlibet ex quolibet oriri posse videretur. At haud æque dari potest, quod inde colligitur, ob eam rem preces frustra fundi, & vel sine his eosdem rerum eventus locum habituros fuisse. Fraus hic incautis obrepere potest, ut eo, quod preces in tempore & diu post istum dudum constitutum ordinem fundantur, induci se patientur, ut credant, nihil ipsis cum hoc esse negotii, nec earum vim, virtutemque retro in æternitatem pertingere, ut aliqua earum jam ante jasta mundi fundamenta à Deo ratio habita fuisse existimari queat. Sed graviter omnino falleretur, hæc talia sibi persuadens. Quis enim non videt, hoc ipso sapientiæ divinæ mundi fata adornanti atrocem prorsus injuriam inferri, quæ sic coeco impetu & sine consilio regisse statueretur, si, licet intelligentium maxime causa mundum conditura, in designandis dispensandisque eorum fatis, ad vitam, quam acturi esse ab ipsa prævidebantur, plane non respexisse putaretur? Fatebore autem, procul dubio, Deum, in suo de mundi eventibus ordinandis sibique invicem attemperandis consilio, moralis hominum quorumvis status, qui ipsius scientiæ ab æterno distinctissime patebat, rationem habuisse, eique factorum seriem accommodasse; quidni igitur fateare etiam, eundem eodem modo ad preces respexisse, divino intellectui, antequam fierent, haud minus præsentes, quam cum fierent? Quæ cum salvis ipsius Dei summis perfectionibus aliter se habere non possint, manifestum quoque est, ordinem in mundo stabilitum precum efficientiam non excludere, eventusque juxta

ta hunc ordinem contingentes recte earundem effectus haberi, atque ad eas tanquam ad sui causam aliquam referri posse. Plenius hoc argumentum à viris doctis tractatum est paucum, è quibus nominasse sufficiet duos ex nostratibus, celeberrimos viros, **BILFINGERVM** *) & **CANZIVM** **). Suo tamen peculiari jure commemorandus hic quoque est **Illustris Jo. DAV. MICHAELIS**, qui, licet breviter illud attingat, tamen & ea, quæ ulterius excipi possent, assert & diluit, quæ ipsius quam nostris verbis dare malimus. ***)

*) In *Dilucidationibus Philosoph.* §. 160. 161. 480. & in *Commentatione de Orig. & Permiss. mali* §. 75. & seqq. & §. 463. & seqq.

**) In *Disciplinis moralibus omnibus* §. 674. & seqq.

***) In *Compendio Theol. dogmat.* Cap. XIII. §. 147. pag. 331. ubi ita pergit: *At, inquis, poterantne mortalium preces permovere Deum, ut in creando mundo aliud condiderit, quam conditus erat? Mundum creare statuerat optimum: id ergo, quod petimus, aut optimum erat, aut non optimum. Si optimum, non nostris precibus impetratum est, Deus enim sua id sponte facturus erat: si sequitur, sapientissimus Deus non obtemperaverit potentibus.*

Hæc qui sacris literis oljicunt, non vident, idem optimum & deterius esse posse, alia animorum humanorum ratione ad Deum sumta. Deterius forte fuerit, beneficium tibi non petenti, tanquam per imprudentiam cœcæ fortuna, contingere: at idem eò tibi aliisque magna utilitati, Deoque honori cedet, si post preces tribuatur.

§. XIII.

Quanquam autem hæc omnino sufficiunt, ad omnem teli-
stius aciem retundendam, animumque confirmandum: sunt
tamen & alia quædam, quæ hoc fine moneri recte & urgeri
possunt. Ed autem vel maxime pertinet, quod ista observa-
tio, quæ Deum omnia naturæ ordini à se constituto permitte-
re, neque, nisi miracula patrando, ipsum sua actione inter-
venire docet, ex iis potissimum, quæ in mundo corporeo con-
tingunt, sit deriyata, atque ad intelligentem, cum & huic
sue leges esse deprehendantur, æquali modo applicata. Vtrius-
que autem haudquaquam eandem esse rationem, ex diverso
utriusque ad Deum respectu per se intelligitur. Rebus creatis
nulla intelligentia productis haud aliud cum Deo intercedere
potest commercium, quam ut potentiae ipsius in se actionem
recipient, haud vicissim in ipsum agere valentes; quare & pro-
curatis à divina potentia & providentia iis, quæ ad mundum
corporeum pertinent, præter conservationis curam qua,
ut perenne, efficitur, harum rerum causa nihil novi
negotii requiri, aut alia Dei actio provocari, intelligitur.
Alia est intelligentium ratio, quæ & ipsæ virtute à Deo sibi
communicata in Deum suo modo agunt &, ut agant, produ-
ctæ sunt. Multò igitur arctius inter Deum & homines com-
merciū intercedere necesse est, quod ejus omnino generis esse
videtur, ut mutuam Dei in ipsis, & ipsorum in Deum actio-
nem, nullo rerum externalium interventu perficiendam, infi-
rat & requirat. Et minus profecto sobrie philosophari viden-
tur,

tur, qui auctoris mundi, Dei, actionem, præter eam, qua conditus sustinetur, omnem à mundo excludunt, ipsumque otiosum quasi orbis à se creati spectatorem singunt. Tanta certe nou est nostra mundi intelligentis cognitio, ut ad opinionem hanc fulciendam sat firmæ rationes, ab ipsa ejus indole, quæ in contrarium potius tendit partem, petitæ in promtu sint, & tanta etiam est, quam inter hunc & corporeum mundum observare licet, disparitas, ut parum philosophice ab uno ad alterum concludatur. Evidemtib[us] largior, profunditates hic deprehendi, in quas rationis examini penetrare non licet, sed id ipsum etiam sobriè philosophantes movere debet, ut à ferenda temere sententia abstineant, atque ad τὸ ἐπέχειν consurgentes, hac de re sibi non liquere fateantur.

§. XIV.

Sed cavendum nobis est, ne ab altera tractationis nostræ parte attingenda, qua de precum quoque utilitate summa aliqua nos esse commentatuos diximus, paginarum angustia excludamur. Et tam latè patet hic locus, ut copiosissimam differendi materiam præbeat, prolixiori, quam cui vacare nobis licet, recensioni occasionem daturam; quare & necesse est, ut de ea potius in summam redigenda, quam, ut deceret, persequenda, solliciti simus. Ad duo capita revocat precum utilitatem ill. BILFINGERVS *), quorum altero, quæ apud Deum, altero, quæ apud hominem ipsum, earum ope præstentur,

com-



comprehendi dicit. Et Dei quidem respectu id precum ope præstari obseruat, ut impulsive ipsum ad largienda bona permoveant; hominis vero ratione habita, hunc earum esse fructum afferit, ut mediorum instar sint homini, effectiva in ipso dispositiones animæ pias producentium. Et istius quidem capitis utilitatem, licet & ipsa ad uberiorem sui investigationem invitet, prætermittemus, cum iis ipsis, quæ hactenus de precum necessitate disputationem, hæc earum utilitas, uti adserta, ita etiam aliquo modo sicut explicita. Subsistimus itaque in altero isto utilitatis genere, quo pietatis studio, & cum eo conjunctæ hominis felicitati, inservire preces dicuntur.

*) In Dilucidat. Philos. §. 161. ubi hæc leguntur: *Hoc loco illud breviter adjungimus, quod ex utroque hoc nexus (quoad media & motiva) intelligatur, v. g. precum utilitas duplex, una, quatenus ille in ipso homine effectiva producunt dispositiones animæ pias; altera, quatenus impulsive Deum ad largienda bona permoveant. Certum est, ex illo animæ actu, quo se in conspectum Dei collocat, & resignat voluntatem suam in divinam, & agnoscit, bona omnia venire à Deo, & ad fines ordinari divino congruos honori; certum est, inquam, ex ejusmodi actu procedere etiam alios in ipsa anima, quibus à malo relinatur, & in bonum inclinatur voluntas. Qui, posita tentatione vel occasione peccati, memor est, se Deum precibus rogasse suis, ut à peccato præservetur, divina adjuvante gratia, ille hoc ipso argumentum agnoscit, quare suo ipsius factu non debeat accedere præcipitio, vel omnino ruere in præcipi-* sic

Sic antecedentium precum memoria est antidoton peccati, ob ne-
xum illum, qui est 1. in representationibus animæ, quatenus po-
sita occasione, reddit in memoriam antegressâ oratio ad Deum; &
2. in appetitibus, quatenus hæc disharmonia precum & facti ef-
ficaciter dissuadere potest, & in bona mentis homine etiam dis-
suadet actu factum precibus adversum. Secundo autem loco,
quoniam Deus etiam consequentia fata ordinat ex factis antece-
dentibus, tanquam motivis, sic, ut illa respondeant sibi mutuo: in-
de certum est, quo plura in antecedentibus facta sint, quibus
per divinam sapientiam, respondere præmia & retributio gra-
tiosa possit; quo plura sint facta, quibus per divinam sapien-
tiam respondere paenæ aut retributio odiosa debeat; eo plura es-
se in divino etiam iudicio motiva utriusque retributionis: Quo
plura desint ejusmodi facta, eo plura deesse motiva retributionis.

§. XV.

Quantum autem valeant preces frequentiores servidiores
que ad mentem penitiori sinceræ pietatis sensu imbuendam,
habitumque animi sanctioris puriorisque producendum, ex
utriusque inter se collatione & consideratione attentiori facile
intelligitur. Neque verò hic tantum, aut possumus, ad id
respicimus, quod per preces animus singularem Dei gratiam
& benevolentiam sibi conciliet, viresque inde divinitus con-
cessas acquirat, quibus instructus veræ pietati aptus evadat,
atque ejus studio totum se dedat, quod utique longe est ma-
ximum, ipsumque rei fundamentum haberi omnino debet;
sed digitum potius intendimus ad naturales istorum actuum,

D

qui-

quibus cum Deo colloquimur , consecutiones , & in animos
 precantium effectus , qui non possunt non esse ejusmodi ,
 ut ipse animi habitus internus pietatis & devotionis sen-
 su profundiore imbuatur . Ipsa , ut ita dicam , anima pre-
 cum collocanda est in sensu humilitatis nostræ & spei divina
 bonitate quamvis præter meritum fretæ , qui quod frequentius
 repetitis precibus in animo fuscitatur , eò firmiorem ejus ha-
 bitum gignit , convenientemque animi affectionem producit .
 Etenim , quoties precamur , fieri non potest , quin statum ani-
 mi nostri attentius & sollicitius scrutemur , nostræque indi-
 gentiæ , infirmitatis , vitiositatis , indignitatis memoriam no-
 biscum recolamus , quorum illa , quantum nos ad opem à
 divina bonitate & misericordia implorandum movere posunt ,
 tantum hæc ob diuinam sanctitatem & justitiam ab aditu ad
 verendam Numinis majestatem abstergere deberent , nisi spes
 subnasceretur , fore , ut justitiae severitatem temperet Deus ,
 paternaque in nos utatur indulgentia ; quam tamen spem ut
 cum animi quadam fiducia concipiāt homo , solo rationis lu-
 mine instructus , fundamento satis idoneo firmoque destituitur ,
 licet ea se persuasione aliquantum erigat & confirmet , futu-
 rum esse ; ut dolor , perversitatis sive conscientia in animo ipsius
 fuscitatus , Deo non displiceat , misericordiamque diuinam sibi
 conciliet . Quæ quanquam nos docent , sublimiori præsidio
 opus nobis esse , si plena cum fiduciâ precari velimus ; quo de
 & postmodum aliqua adhuc erunt dicenda , tamen & simul
 docent , omni precum exercitio sua natura id ineffe , ut mer-
 tem

tem ipsam ad pietatem formet, devotionisque fervorem in animo incendat & promoveat. Frequentiori enim earum rerum meditatione, quæ precum argumentum & summam conficiunt, fieri necesse est, ut ex ipsæ animo tam familiares reddantur, ut constans animi affectio in eas tendens oriatur, ipsique ejus natus & propensiones eò dirigantur. Nasci inde oportet peccati odium & fugam, rerum hujus mundi contemnitum, virtutis studium intensius, amorem Dei, benefactoris tanti & tam liberalis, impensisimum, divinæ Majestatis reverentiam profundissimam, divinæ omnipræsentiae & omniscientiae recordationem perpetuam, & quæ complura sunt alia cum veræ pietatis sensu & studio conjuncta.

§. XVI. de ratione etiā in mortali

Quanta vero sit hæc precum utilitas, in mente sincero pietatis sensu imbuenda se manifestans, tum demum plenius intelligitur, si simul expenditur, quanta voluptate sensus iste animalium perfundat, cuius quippe beneficio omnis veræ felicitatis filius & scaturigo citra canales directe in eum derivatur. Quodsi quæ rerum natura conspectui nostro exhibit, divinæ bonitatis, sapientiæ, potentiæ documenta contemplamur, sentimus omnino suaviter affici animum nostrum, dulcique voluptatis, quæ sola mentibus immortalibus digna est, sensu perfundi. Attamen hoc casu nonnisi cum effectibus res nobis est. Quantam igitur esse oportet eam voluptatem, quæ ex intimo cum ipsa cœla commercio percipitur, quo non umbras

D 2

&

& signa absolutissimarum istarum in Deo perfectionum contemplari, sed re ipsa perfici nobis licet. In hoc boni omnis fonte uno & solo invenimus id, quod & *naturae* & *naturae spiritus* amabile pulchrumque est, cujusque fruitione desideria nostra in infinitum tendentia satiari plene queant. Verum quidem est, consummatam summam hujus felicitatis fruitionem futuræ demum vitæ reservari, cum in hac vel invitis nobis curæ & cupiditates oboriantur, animum à beatissimo isto commercio avertentes. Tum demum propior nobis ad Deum aditus patet, & immensa ipsius gloria & majestas clarius manifestabitur, remotis iis, quæ jam animi impetum remorantur, felicitatisque perceptionem imminuunt. Disparebunt hæc nubes oculorum mentis aciem obtundentes, Numinisque præsentiam experiemur modo, nulla cogitatione, nedum verbis, designando. Quamvis autem hæc ita se habeant, maximi tamen licet mentibus, suis & desideriis & animi habitu in hac etiam vita commercium cum Deo habentibus; & eò magis quidem est necessarium, ut de ea nobis comparanda solliciti simus, quod certius est, eam consummatissimam istius felicitatis & arham esse, & ad ejus fruitionem aptum reddere animum & præparare.

§. XVII.

Sunt præterea & alia voluptatis genera, quæ ex precum iugi exercitio, &, quæ ex eo fluit, pia animi affectione præmanant.

manant. Is certe persfrui gaudio & lœtitia dicendus est, cuius animum pax & tranquillitas exhilarant, cuique est perpetua mentis serenitas; & quis, quæso, præstantissimis his bonis magis fruetur eo, qui omni suo affectu & animi propensione in Deum fertur? Mens sic affecta omnibus mundi hujus tumultibus superior evadit, & in omni calamitatum turbine in Deo placide requiescit. Eadem contra ex iis, quæ grata & jucunda sunt, multo majorem voluptatem capit, quam cuius capax est animus incompositus, & affectuum incordinatorum procellis agitatus. Degustat bona cum sensu ejus bonitatis, à qua promanant, malisque non perturbatur, certa, suas res optimo moderatori curæ, sibique sub præsidio potentissimi, fa-
bientissimi, suigne amantissimi Numinis male esse non posse.

§. XVIII.

Vti verò hoc hominum cum Deo per preces commercium, quique eō procreatur animi ad pietatem compositi habitus, precantium utilitatem mirifice promovet; ita & universi, hu-
mani generis utilitati & saluti plurimum infervit. Vt enim taceamus, eō faventiorem Deum universæ hominum civitati reddi, quod plures sunt, qui ad sanctissimos fines ipsius, homi-
num animos ad beatissimam sui communionem alliciendi, se conformat, ipsiusque misericordiam pro aliis quoque depre-
cantur; quod posterius quoque precantium animo mirificam
voluptatem creare debet, qui hoc uno suæ cum omnibus ho-
mini-

D 3

¶¶¶

minibus necessitudini , suoque omnes amandi officio , satisface-
re possunt : habent præterea & alii homines , quo ad conci-
piendum animo vite rectius & felicitatis , quam anhelant
omnes , studio convenientius instituendæ propositum , fortissime
excitentur , si ante oculos ipsis sint hominum veræ pietati de-
ditorum exempla , quorum vita æquabilis , nullaque affectuum
turbulentorum intemperie concussa , docet , ipsos interna pace
suavissima perfaci , solosque vera felicitate esse potitos .

§. XIX.

Atque hæc quidem commoda in universam hominum
societatem promanantia majora etiam evadunt , si aëtu quo-
que externo divinum Numen invocantes officio , haud minus
à natura nobis injuncto , defungimur . Vt enim ipsis precari-
tibus singularis inde quoque utilitas accedit , cum facultati-
bus corporis in subsidium vocatis , & cum mentis actibus
conjunctis , ipsa interior animi ad Deum elevatio excitetur ,
foveatur , alatur : ita hæc in oculos incurrens nostræ in Deum
pietatis demonstratio maximam quoque vim virtutemque ex-
erit , in aliorum animis commovendis , & ad sanctissimum pa-
riter cum Deo commercium per preces ineundum excitandis ,
qui , pro naturæ humanæ indole , rebus in sensus externos
agentibus , voce , vultu , gestu , omnium vehementissime affi-
ci commoverique solent . Et multò etiam fortior fit in ani-
mos impulsus , si plurium sociata , in colendo per preces Deo ,
conjugitur opera , servorque omnium communis , & in unum

qu
bi
ni
ab
li
d
q
d
P
d
r
f
e
s
r
t
a
c
n
t
l
I
l

quali

quasi coactus, spectaculum præbet ex omni parte venerabile, cui ut summa omnino vis sit in alliciendis aliorum animis, atque ad pietatis consortium pertrahendis, si aliter non ab omni ejus sensu vacui fuerint, oppido necesse est.

§. XX.

Quamvis verò hæc omnia precum & necessitatem & utilitatem summam, ipsi quoque rationi perspectam, abunde demonstrent, & quemvis de suo officio gravissime fortissime que commoneant: fatendum tamen etiam est, rationis folius ductu & præsidio saluberrimum ejusmodi precandi habitum perfici, atque hinc etiam ista, quæ commemoravimus, commoda, sperari, non posse. Tanta enim deprehenditur esse mentis nostræ corruptio, ut quantumvis ea, motibus tam sanctis obsecundatura, ad eos confirmandos omni virium contentione erit, & continuo tamen sibiique inexpugnabili torpore retrahi se, & impediri sentiat. Atque huic quidem impedimento removendo vires, quæ à natura homini insunt, pares nequam sunt, cui hinc sublimiori adjumento opus est, non nisi à divini Numinis gratia repetendo. At, inquis, earundem premium ope impetrare hæc licet homini, qui quò intensius divinam opem efflagitabit, èo largiorem virium mensuram divinitus in se collatam consequetur. Non habes nos dissentientes; sed dic, quælo, etiam, quo fundamento ab ipsa ratione supereditato niti queat homo, ut adeò optabilem deo, ipsiusque benevolentia, spem concipiat? Vnde novit, sibi tot tantisque pecca-

peccatis polluto, quibus iram Dei in se provocavit, omnique ejus gratia & misericordia indignum se reddidit, aditum ad Dei thronum patere? Quidni potius extorrem se civitate divina, omnibusque ejus privilegiis & prærogativis privatum, iudicet, cui tantum abest, ut beneficia sint exspectanda, ut potius gravissima supplicia sint extimescenda? Quis viam ipsi demonstrat, cum Deo in gratiam redeundi, efficiendique, quod minus justitia & sanctitas divina ipsius bonitati intercedant, si in hac persugium sibi quæsierit? Et hoc quidem maximi momenti defectu, quem suprà jam notavimus, laborat religio naturalis filius rationis præsidio ipsostructa, cui mederi nullo modo potest. Novit ratio, Deum esse orandum, ut quæ defunt nobis imperiat, sed quomodo orandus sit, ut exoretur, profundè nescit. Eadem tamen præclare intelligit, precibus summum sui firmamentum, fiduciam, deesse, si de isto non constiterit. Dum igitur defectum hunc, quem ipsa supplere non potest, sentit, damnique, quod inde oritur, magnitudinem experitur, non potest non ipsa homini auctor suaforque esse, ut de medio salutis aliunde sibi comparando dispiciat, quod manu quasi ipsum ad quærendam & amplectendam divinæ revelationis doctrinam deducit. Felicem eum, qui sic sibi consuli patitur, & eam felicitatem omnino adipiscuntur ii, qui religionis naturalis præcepto, de precibus ad Deum fundendis, præveniente Dei gratia, & ipsa à Christo parta, adjuti, obtemperantes debitam in obeundo officio demonstrant & probant fidelitatem!

T A N T V M.


VD18

ULB Halle
007 455 496

3







ATIO PHILOSOPHICA

E.12. num.8.

QVA
E C V M
 ECCESSITAS ET UTILITAS
 IONE ADSTRVITVR

AVSPICIS DIVINIS
 RSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
 POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO,

OMINO
R O L O ,
 BERGIAE ET TECCIAE rel. rel.
 RÆS IDE
 FRIDERICO SCHOTT,

DOCT. ET PROFESS. EXTRAORD.

C. POSEOS ORD. PVBL. CONTVBERNII ACAD.

QUE LATINARVM SUPERIORIS WÜRTEMBER-

RCHA, SOCIETATIS LATINAe BADO-

ENSIS MEMBRO HONORARIO

LOSOPHICI h. t. DECANO,

AD OBTINENDOS

PHILOSOPHIA HONORES

Oktobr. MDCLXIX.

O PHILOSOPHORVM AESTIVO

PUBLICE DEFENDENDA.

RICO HAVFFIO, *Biffinga - Teccenſi*,
 IPPO STAENGELIO, *Welzheimenſi*,
 HARDO PVCHNERO, *Gothsheimenſi*,
 VID. TRITSCHLERO, *Spielbergenſi*,
 CANDIDATIS IN DVC. STIPENDIO THEOL.

TVBINGÆ,
 IS JO. AD. SIGMVNDI.

